



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

Benedictio panis, segetum, & seminum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](#)

nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in  
sæcula sæculorum.

R. Amen. Et mox aspergat aquâ benedictâ.

## BENEDICTIO PANIS.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe panis angelorum, panis  
vivus æternæ vitæ, bene **F** dicere dignare panem  
istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto,  
ut omnes, ex eo gustantes, inde corporis & animæ  
percipient sanitatem. Qui vivis & regnas in sa-  
cula sæculorum.

R. Amen. Et aspergat aquâ benedictâ.

## BENEDICTIO SEGE- TUM ET SEMINUM IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

*Scribi h* Acedos exiens cum Clericis ( si adsint ) & populo, præcedente  
scruce, & cereis, superpelliceo ac stolâ ornatus, incipiat Litanias  
de omnibus SS. sicut habentur supra in benedictione ignis pag. 218.  
qui finitis dicat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster &c. Et ne nos inducas &c.

V. Ad-

**V.** Adjutoriu*n*n nostrum in nomine Domini.

**R.** Qui fecit cœlum & terram.

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

**Oremus.**

Pietatem tuam quæsumus, omnipotens Deus,  
ut has primitias creaturæ, quas aëris & pluvia tem-  
peramento nutrire dignatus es, bene **¶** dictionis  
tuæ imbre perfundas : tribuas populo tuo, de tuis  
muneribus, tibi semper gratias agere : ut egenus &  
pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum  
&c. **R.** Amen.

**Oremus.**

Omnipotens sempiterne Deus, arbiter throni,  
qui molem terræ ex nihilo pendentem gubernas,  
& ad victum humani generis, corporisque suspen-  
sionem, agros operibus excolere jussisti : miseri-  
cordiam tuam supplices exoramus, ut quidquid in  
hos agros salubris seminis satum atque plantatum  
est, respectu tuæ clementiæ prospicias : & aëris  
temperies moderare digneris, ut resecto atque ab-  
sorpto omnium tribulorum atque spinarum squa-  
lore: efficias fruges fœcundas, & ad maturitatem  
perfectam tribuas provenire : ut nos famuli tui u-  
berem tuorum donorum fructum , cum gratia-

rum

rum actione percipientes, debitas atque acceptas  
nomini tuo laudes referre mereamur. Per Chri-  
stum &c. Rx. Amen.

## Oremus.

**T**e Domine petimus ac rogamus, ut hos fru-  
ctus seminum, frugum, frumenti, siliquinis, hordei,  
avenæ, ac aliorum cuiuscunque generis existant-  
tuis oculis serenis, hilarique vultu respicere digne-  
ris. Sicut enim testatus es Moysi famulo tuo, in  
terra Ægypti dicens: Dic filiis Israël cum ingresi  
fuerint terram promissionis: quam eis datus  
sum: ut primitias frugum offerant sacerdotibus: &  
erunt benedictæ fruges; ita & nos oramus te Do-  
mine: ut auxilium gratiæ tuæ super nos, & hos fru-  
ctus ad bene  dicendum, proferendum conce-  
das: ut non grando surripiat, non turbo subvertat,  
nec vis tempestatis detruncet, aëris siccitas exurat:  
non inundatio pluvialis exterminet: sed incolumes  
& superabundantes propter usum hominum ad  
plenissimam maturitatem perducere digneris. Per  
Christum Dominum &c. Rx. Amen.

## Oremus.

**D**omine sancte pater omnipotens, æterne Deus:  
mitte Spiritum sanctum tuum cum Angelis & Ar-  
changelis tuis & cum eis omnes Sanctos & Electos  
tuos:

MIHI

Benedictio herbarum, in Assumpt. B.M.V. 265  
tuos: ut defendant segetes nostras à vermibus ma-  
lis, & ab avibus: ut magnificetur nomen tuum  
Deus in omni loco. Per Dominum nostrum Je-  
sus Christum Filium tuum, qui tecum vivit &  
regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per om-  
nia saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde Sacerdos circumeat agros vel partem eorum &  
aspergat aquâ benedictâ, dicatque tandem:

Et benedictio Dei omnipotentis Pa<sup>ter</sup> tris,  
& Fi<sup>n</sup> lii, & Spiritus<sup>u</sup> sancti descendat, &  
maneat super has fruges.

R. Amen.

primitiv<sup>is</sup> benedictio. cœris fragrum ex Ag. p.

## BENEDICTIO HERBA.<sup>Ex Agenda</sup> RUM IN FESTO ASSUMPTIONIS<sup>priu</sup> B. MARIAE VIRGINIS.

Sacerdos ante summum sacrum benedit eas.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte Pater omnipotens, qui ab

L I

initio